

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo purificationis Mariae

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In die Festo Purificationis Mariæ.

Evangelium Luc. 2, v. 22. --- 23.

EXORDIUM.

Cum Regum Sapientissimus Salomo magnificentissimum templum consummasset, *arcam fœderis & omnia vasa sanctuarii* inferri curavit, quæ hæcenus in tabernaculo conservata fuerant: & ecce! *nebula implevis domum Domini*, & non poterant sacerdotes stare ad ministrandum, propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini, 1. Reg. 8. v. 1. seqq.

Hæc magna templi Hierosolymitani fuit gloria: verum peccatis suis postea Israelitæ effecerunt, ut Deus Hierosolymam cum templo in potestatem Babyloniorum tradiderit, qui omnia funditus everterunt, & igne combusserunt, ut de pristina magnificentia nuda rudera remanserint. Et licet post captivitatem Babylonicam per Zorobabelem ejusq; ædes aliud templum constructum fuerit: illud tamen priori adeo dissimile fuit, ut plurimi, qui viderant templum prius, cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, fleverint voce magna, Esr. 3. v. 12. Præcipue verò tempore Christi adeo res ceciderat, ut pii sufficientem causam haberent querendi: Signa nostra non vidimus, jam non est amplius Propheta: & non est nobiscum, qui sciat, quousq; Psal. 74. v. 9. Idè ipse venit, tanquam Dominus templi, Mal. 3. v. 1. facitq; gloriam domus istius novissimæ majorem, quàm primæ, Hag. 2. v. 10.

Post captivitatem Babylonicam non fit mentio in scripturis arcæ fœderis, non propterea, quali non adfuerit, sicut Judæi probare volunt, ex cap. 1. libr. 2. Maccab. v. 5. ubi de Jeremiâ dicitur, quod eam in monte Nebo in speluncam abdiderit, & ostium obstruxerit. Hoc potius *figmentum Thalmudicum* est. Jeremias enim in custodia suâ mansit, usque ad diem, quo Hierosolyma occupata fuit, quomodo igitur arcam fœderis è templo auferre, eandemq; in monte Nebo occultare potuit? Hoc sane illi hostes non permisissent, Jerem. 38. vers. 28.

Præterea quoque expressè recensetur, quod Cyrus Judæos è captivitate dimittebat, non modò iisdem domum reverti, & urbem cum templo reparare concesserit: sed & omnia vasa templi, quæ Nabuchodonosor de Jerusalem tulerat, iisdem restituerit, Esr. 1. v. 7. Verum eam ob causam, illius mentio nulla fit, quia tempus N. T. propius accedebat, & Messie adventus instabat, qui per arcam fœderis præfiguratus fuit, sicut audimus in prælecto Evangelio, ubi illum Maria mater ejus in templum defert, veluti vivum illud propitiatorium, quod nobis Deus pater proposuit, Rom. 3. vers. 25. ut cum fiducia adire, & misericordiam consequi, & gratiam invenire debeamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. vers. 16.

In postremo templo nullum Urim & Thumim amplius erat, quod alias summus Sacerdos in pectore portabat, Exod. 28. v. 30. nec legislator sincerus in Juda amplius erat, Gen. 49. v. 10. Herodes omnes è medio sustulerat, ut saltem unicus ille Simeon superesset, qui expectabat consolationem Israel, ut in Evangelio dicitur:

Ideo præsentat se hic vera lux mundi, Joh. 1. v. 8. & Archiepiscopus animarum nostrarum, 1. Pet. 2. v. ult. & umbra per imaginem ipsam aboletur, Heb. 10. v. 1. Hoc majoris æstimandum est, quam quod nebula impleverit domum Domini, tempore Salomonis, ut supra audivimus. Hic enim Deus se manifestat in carne, 1. Tim. 3. v. ult. ejusmodi Dominus, in quo rota plenitudo Divinitatis habitat *σωματικῶς*, Col. 2. 9.

Ideo hodiernam hanc B. Virginis Mariæ processionem accuratius intuituri, pro instituti ratione meditabimur:

- I. *Ἀνθρῶπιον*, sive *notitiam nostri*.
- II. *Χριστιανισίαν*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegesis.

Tria, qua in admirationem veniunt, hodierno Die acciderunt. Primum est, quod Servator noster meritissimus, instar alius vulgaris infantis, ut immudum se censeri, & ita ad templum deferri sinit, qui tamen peccatum non fecit. nec inventus est dolus in ore ejus, 1. Pet. 2. 22.

Alterum est, quod idem hic Servator Deo sistitur & præsentatur, qui tamen ab æterno apud Deum erat, Joh. 1. v. 1. quem ab æterno ex essentia sua genuerat, Psalm. 2. v. 7.

Tertium est, quod pro se victimam fieri voluit, cum tamen ipse venisset, ut sacrificium propitiatorium fieret pro peccatis totius mundi, 1. Joh. 2. v. 2. Deo Patri in odorem suavitatis, Eph. 5. v. 2.

Hoc ipsum vero naturalis homo ratione sua comprehendere nequit. Quod si vero verbum Dei consulimus, ostendit id nobis præclaram illam permutationem, quam Deus nobiscum agit, quando filium suum unigenitum pro nobis peccatum fecit; ut nos efficeremur justitia Dei in ipso, 2. Cor. 5. v. ult.

Ἀνθρώπων, sive *notitiam nostri* hinc discemus, si spectabimus:

1. *Mariæ purificationem*. Postquam enim impleti sunt dies purgationis illorum, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino. Respicit his verbis eaput 12. Levitici, ubi lex hæc de puerperis plenius describitur.

Hic inspiciant se mariti, utrum uxoris suis tempore puerperii, necessariam quietem & refectioem concesserint?

Inveniuntur quandoque austeri Cyclopes, qui inhumaniter uxores suas tractant, & abjecta omni earum cura, ad labores manuum relegant, vel alio quocunque modo molestiam illis creant. Interdum mulieres ipsæ ex supervacanea curiositate & levitate puerperii tempus violant, & non sine sui, sexusve fœminici prostitutione, virium ac valetudinis suæ jacturam faciunt. Sed hoc contra quintum præceptum est, in quo non modo homicidium ipsum, sed & occasio homicidii prohibetur, Matth. 5. v. 21. ideoque ejusmodi homines gravissimam aliquando rationem reddere tenentur, omnis enim homicida non habet vitam æternam in se manentem, 1. Joh. 3. v. 15.

2. *Sacrificii presentationem vel oblationem.* Venerunt enim in Hierusalem, ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum, ut constat ex Levit. 12. v. 6.

Hic examinent se Christiana matrona, an Deo suo semper debitum laudis sacrificium obtulerint, quando factum feliciter deposuerunt, & cum eodem sospites & sana prodisse possunt?

Hoc ita ipsa rei æquitas requireret. Sed non pauca inveniuntur, quæ hoc ipsum oblivioni tradunt. Nonnullis in locis laudabilis ille mos viget, ut puerperæ cum infantibus suis in templum ad aram pergant, exantlato puerperii tempore, ibiq; ab ecclesiæ ministro benedictione divinâ afficiantur. In specie Christianæ puerperæ id observent, ut primus earundem ingressus in templum fiat, & Deo spirituale sacrificium offerant, nempe vitulos labiorum suorum, Os. 14. v. 3. & *nomini ejus sanctissimo gratias agant:*

1. *Pro partu felici.* Verè enim ibi dicitur: vana salus hominis est, Psal. 60. v. 13. & nisi Deus optimum faceret, & daret lassis virtutem, & his, qui non habent fortitudinem robur multiplicaret, Esa. 40. v. 29. in momento res desperata foret, præsertim quando venit usque ad partum, & virtus non est parienti, Esa. 37. v. 3.

Quid accidit *Racheli*? egressa est cum marito suo iter factura in Bethel. In viâ verò ob difficultatem partus periclitari cepit. Vix verò puerulo enixo, anima ei præ dolore egressa est, Gen. 34. v. 16. seqq.

Similiter & *uxor Pinees* in partu occubuit, 1. Sam. 4. v. 19. Id adhuc hodie non raro accidit, ut Imperatrices quoq; & Reginas hîc non exemptas invenias.

Isabella Imperatoris Caroli V. Conjux in puerperio exspiravit.

Maria Imperatoris Maximiliani Conjux cum Imperatore venatum equitans, equo decidit, hoc modo non saltem foetum, sed & vitam deperdidit, hoc ipso Imperator in magnum mororem conjectus, quoties de illâ cogitavit, lacrymas emisit.

Eodem modo *Maria Leopoldina Ferdinandi III. Conjux*, vitam amisit.

In hac consideratione Christianæ Matronæ habent, quod Deo gratias agant, quod se indemnes è periculo liberaverit, & sanâ prole exhilaraverit. *Nihil enim ita displicet Deo in filiis gratia, quemadmodum ingratis, inquit Bernhardus.* Sacrificans verò laudem honorabit me; & illiciter, quo ostendam illi salutem Dei, Ps. 50, ult.

2. *Pro custodia fideli.* Olim *luctuosi casus acciderunt, tam à parte matris*, quæ sæpè noctu extra lectum & hypocaustum in alio loco, imo in puteo reperta est, sicut in Promptuario Exemplorum talia exempla recensentur: quàm *à parte infantum*, qui sæpè subdititiis permutati sunt, à quibus parentibus magnæ molestiæ creatæ. Quando enim homines verbi divini obliti, satanæ per superstitiones serviunt, permittit Deus satanæ, ut operari possit in filiis diffidentia, Eph. 2. v. 2.

Hodie rarius ejusmodi exempla occurrunt. Quando enim honestæ mulieres manè & vesperi se & foetum suum Deo per preces fideles commendant, à Diabolo ejusque satellitibus non est quod metuant. Habet enim Deus angelos infantum quoque, Matth. 18. v. 10. & licet Draco malum machinetur, Apoc. 12. v. 4. nihil tamen effecturus est, Dominus enim, qui lætam puerperam illam fecit, sustentabit quoque

& tuebitur illam, ut non moveatur, Psal. 62. v. 3. idè denuo causam hinc habent sacrificia laudis afferendi, & quæcunque voverunt reddendi, salutem Domini, Jon. 2. v. 10. Psal. 50. v. 15.

III. *Simeonis parentationem.* Simulac enim Jesulum recens natum in ulnas suas accepit, lætitia plenus mortem exoptat, dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace &c.

Hic probate mi Christiane! utrum & ipse mortalitatis tuæ memor, cum Simeone ad mortem te præparaveris, ut si Deus te avocare velit, dicere possis: Nunc dimittis servum tuum Domine?

Simeon responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Postquam igitur ad gratiosum hoc tempus vivus pervenerat, mortem æquo animo expectat, dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

Nos ejusmodi promissionem non habemus: sed quotidie in manu Dei versamur, nescientes, quo tempore nos avocaturus sit, Nescit enim homo tempus suum, sed ut pisces &c. Eccles. 9. v. 12.

Singulis proinde horis & momentis parati, dicamus: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace!* & ita vivamus, quasi hæc ultima hora sit, nam, si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit, Eccl. 11. v. 3.

Diviti illi rustico non volupe erat mori: quia enim ager ejus uberes fructus attulerat, athleticè se victurum, opinabatur, alloquens animam suam: Anima, habes multa bona posita, in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, lætare. Sed dixit ad eum Deus: Stulte, hæc nocte animam tuam

repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? Luc. 12. v. 19, 20.

Sic adhuc hodie pauci divites reperiuntur, qui æquo animo ex hoc mundo discedunt, & cum Simeone dicunt: Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace: Verum quando mortem recordantur, exhorrescunt, ut compages renum eorum solvatur, & genua eorum ad se invicem collidantur, ut de Rege Belfazer dicitur, Dan, 5, 6.

Hoc amor *Mammonis* efficit, quem plus respiciunt, quàm hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in coelis, 1. Pet. 1, 4. sed relinquere eum coguntur, & cum interierunt, non sument omnia, neque descendet cum eis gloria eorum, Psal. 49, 8. Quid igitur prodest illis superbia? aut divitiarum jactantia quid confert illis? Sap. 5. v. 8. Æternum & verum bonum hoc ipso amiserunt, quod in æternum nunquam recuperabunt: nam in inferno positi erunt, Pl. 49, 5. ubi tantâ inopiâ urgebuntur, ut ne guttulâ aquæ potiri possint, quâ linguam suam refrigerare possint, Luc. 16, 24.

Veri Christiani mortem non horrent, sed singulis horis eam expectant, dicentes: Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace.

Rem tradidi meam Deo,
Pendo ejus ex arbitrio,
Vivamne vitam, si lubet,
Prout lubet,
Ejus voluntas perplacet,
Vitam traho in molestiis,
Vescorq; pane in lacrymis,
Si vult Deus non abnuo,
In pace eo
Mori mihi sit in lucro.

Ich hab mein Sach Gott heimgestellt/
Er machs mit mir wies ihm gefällt/
Sol ich allhier noch länger lebñ/
Nicht widerstrebn/
Seinm Willen thu ich mich ergeben.
Ich hab hie wenig guter Tag/
Mein täglich Brod ist Müh und Klag/
Wenn mein Gott wil so wil ich mit
Hinfahrn in Fried/
Sterbn ist mein Gewinn und schad
mir nicht.

// De glorioso Imperatore Ferdinando I.
memoratur, quod Pragâ Francofurtum iter
// faciens, cum satellites quidam in itinere oc-
cumberent, dixerit: Videmus, quod & mors
// nobiscum proficiscatur, idèd opus erit, ut
quilibet se ad mortem præparet.

Id ipsum nos quoq; observemus, quò
mortem semper in memoriâ habentes, ad
eam nos componamus. Verè enim Augu-
stinus: *Serò parantur medio, cum mortis im-
minent pericula.* Exemplo sint fatuæ virgi-
nes, quæ tum demum ibant oleum emtura,
cum veniret sponsus: idèd exclusi è domo
nuptiali, funestam vocem audire teneban-
tur, non novi vos, Matth. 25, 12.

De Secundo.

PRogrediemur nunc ad alteram partem,
Xp̄i vultus, sive notitiam Domini no-
stri Jesu Christi pertractaturi. Hic nobis
meditandus proponitur:

I. *Tanquam verus primogenitus*, ad quem
lex de primogenitura, & omnes Levitica
Cereemoniæ collinearunt. Quia enim Do-
minus ordinaverat, ut omne masculinum
adaperiens vulvam, sanctum Domino vo-
cicaretur; B. quoq; Maria in templum acce-

dit, ut listeret filium suum primogenitum
Domino, & offerret hostiam, quam Moses
præceperat.

Primogeniti in V. T. magnam præro-
gativam habuerunt, fuerunt priores in do-
nis, & majores in imperio, h. e. ex illis sum-
mi Sacerdotes & Reges eligebantur, Gen.
49. v. 3. habuerunt duplex hæreditatis jus,
& duplicia auferebant, ubi reliquos unâ
parte contentos esse oportuit, Deuter. 21.
vers. 17.

Dum igitur Christus tanquam primo-
genitus à patre suo, juxta divinam naturam,
Joh. 1. v. 18. & primogenitus à matre, se-
cundum humanam naturam, Luc. 2. v. 2.
hic secundum legem præsentatur, hoc ipso
confirmare voluit: *primò, quòd Rex noster
sit*, à quo præsidium, auxilium, & solatium in
omnibus advertis expectare debeamus, Es.
33. v. 22. *Deinde, quòd sit summus noster Pon-
tifex*, qui non per sanguinem hircorum &
vitulorum, sed per proprium sanguinem
introiverit semel in sancta, æternâ redem-
tione inventâ, Hebr. 9. v. 12. *Tertiò, quòd
caelum duplici jure obrineat*, primò tanquam
hæres, quatenus filius Dei est: deinde tan-
quam meritum, quatenus illud passione &
morte suâ acquisivit. Priori modo sibi reti-
net: posteriori nobis communicat, tan-
quam cohæredibus, si tamen compatimur,
ut & conglorificemur, Rom. 8. v. 17.

Nos igitur genus electum, Regale sa-
cerdotium, gens sancta, & populus acqui-
sitionis sumus, 1. Petr. 2. v. 9. hoc Christo
referamus oportet, à cujus gratia accipi-
mus gratiam, pro gratia, Joh. 1. vers. 16.
*Quia enim ille Christus vocatur, nos quoq; e-
hanc denominationem ab ipso habemus,
quòd Christiani appellemur*, Act. 11. v. 76.

Quia Rex est, & nos quoque Reges fecit, Apoc. 1. v. 9. propterea olim accipiemus regnum decoris & diadema speciei, de manu ejus, Sap. 5. v. 17. Et quia summus Sacerdos est, nobis quoque licentiam hanc dedit, ut quotidie coram Deo comparere, suffitum fragrantem precum incendere, & hostiam laudis Deo, h. e. fructum labiorum offerre possimus, Hebr. 13. v. 15. Quia cælum duplici jure tenet, nos quoque hoc frui debemus, ut hæredes & cohæredes ejus simus, Rom. 8. v. 17.

Gaudio hinc exultemus, dilecti! *Omnia nobis Jesus est, si illum habemus, omnia habemus. Factus enim nobis est à patre suo, & sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio 1. Cor. 1. v. 30. Qui credit in eum, justus est, Rom. 10. v. 4.*

II. Tanquam Salvator æcumenicus. Vide- runt enim, inquit Simeon, oculi mei, salutare tuum, quod parastante faciem omnium populorum. Nemo hic exclusus est, nisi qui semetipsum excludit incredulitate sua, & Christum quasi repudiat, dicens cum Judæis: Nolumus hunc regnare super nos, Luc. 29. v. 24. Si quis non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris solis radios excludat, ait Augustinus. Hinc apparet, quod Christus quidem sit Servator omnium hominum, maximè verò fidelium, 1. Tim. 4. v. 10.

Universum genus humanum immersum fuit peccatis, & consequenter morti, & æternæ damnationi, id Satanas effecerat, Sap. 2. v. 24. Quod si itaque Deus ex rigore justitiæ nobiscum agere voluisset, non iniquè nobiscum egisset, si nos ita in perditione reliquisset: sed gratia ejus prævaluit, Sic enim dilexit mundum, ut fi-

lium suum unigenitum daret, Johan. 3. vers. 16.

Hic *gratissimum Deo foret, si omnes homines Salvatorem mundi verà fide amplecterentur, ejusque sanctissimi meriti, quod pro peccatis totius mundi præstitit, participes evaderent, proptereà ipse vocat: Respicite ad me, & salvi eritis omnes fines terræ, Esa. 45. v. 22.*

Quia verò id non fit, sed plurimi decedunt in vias suas curvas, Psal. 125. v. ult. petram salutis suæ oblivioni tradunt, Deut. 32. v. 18. imò planè abjiciunt, ut Judæi, Luc. 19. v. 44. Et peccatis suis denuo crucifigunt, Hebr. 6. v. 6. & ita consilium Dei spernunt contra seipsos, Luc. 7. v. 30. Hinc est, ut dicatur: Multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. 22. v. 14.

Simeon igitur nobis imitandus est, si Servator hic noster esse debeat, ejusq; merito nos justificari & salvari velimus. Ait enim ipse: Oculi mei viderunt salutare tuum. Id à nobis quoque fieri debet. Equidem oculis corporeis ipsum hodie intueri non possumus, dum die novissimo in formâ visibili rediturus est, sicut in cælum ivit, Act. 1. v. 11. attamen oculis fidei ipsum spectare debemus, veluti de Abrahamo dicitur, quod diem Messie viderit aliquot retrò seculis, priusquam ille in carne manifestatus est, Joh. 8. v. 56. Si hoc fecerimus, non est, quod metuemus peccatum, huic enim Jesu testimonium perhibent omnes Prophetæ, remissionem peccatorum accipere, per nomen ejus, omnes, qui credunt in eum, Act. 10. v. 43.

Non est quod timeamus maledictionem legis. Hic Servator enim maledictio pro nobis factus est, ut nos à maledictione legis redimeret, Gal. 3. v. 13.

Non

Non est, quod vereamur iram Dei. Non enim nos posuit Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, 1. Thess. 5, 19.

Non est, quod pertimescamus mortem & diabolum. Per mortem enim suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & liberavit eos, qui timore mortis, per totam vitam obnoxii erant servituti, Heb. 2. v. 15.

Nec est, quod exhorrescamus aeternam condemnationem. Nihil enim condemnationis est his, qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, Rom. 8. v. 1.

III. *Tanquam mortis dulcorator suavissimus.* Hic audimus, Simeonem ex singulari mortis appetitu, quamprimum Jesulum recens natum in ulnas accepit, lætabundū dixisse: Nunc dimittis, Domine, servum tuū in pace: quod ego paratus sum, vivere mihi Christus est, & mori lucrum, Phil. 1. v. 21.

Quod si igitur & tu cum Simeone in pace dimitti velis, & tu Jesulum recens natum in ulnas tuas accipias oportet:

1. *Spiritualiter*, ut in sanctissimo ejus merito fiduciam ponamus, & firmiter credamus, quod sit Jesus & Salvator noster, Mat. 1. v. 21. unus ille mediator inter Deum & homines, 1. Tim. 2. v. 5. Qui enim credit in filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, Joh. 3, ult.

2. *Sacramentaliter*, ubi nobis sub benedicto pane, corpus suum edendum, & sub benedicto vino sanguinem suum bibendum exhibet, in plenissimam certitudinem, ut remissionem peccatorum habere, & cum eo in æternum vivere debeamus, Joh. 6, 51.

Artemisia Regina Caria, maritum suum Regem Mausolum tanto amore complexa est: ut non modo magnifico Epitaphio eum honoraverit, quod postea inter septem mundi miracula relatum est: sed & cineribus, quos de ejus combusto corpore collegit, cibum & potum suum quotidie miscuerit, ne unquam memoria ejus sibi excideret.

Sed in sacra cœna non cinere: verum vero corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi cibamur, hoc ipso memoriam fecit mirabilium suorum, Psal. 111. v. 4. & quando hoc cibo fruimur, hanc utilitatem exinde habemus, quod ille in nobis, & nos in illo mansurifumus, Joh. 6. v. 56. Quis igitur animum abjiceret aut desperaret? Quin potius in omnibus adversitatibus pleni fiducia esse, & dicere poterimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8. v. 34.

Hoc igitur animo tuo infixum esto, mi Christiane! ut & ipse Jesum tuum in ulnas recipias, per veram & salvificam fidem, & omnia tibi cooperabuntur in bonum, Rom. 8. v. 28. Et si hora mortis instabit fiducialiter cum Bernhardo dicere poteris: *Inter brachia Salvatoris mei, & vivere & mori cupio.* Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur, 14. v. 15.

Hoc præclarum solatium est, cujus intuitu beate mori, placide quiescere, & suo tempore lætabundi resurgere, & in vitam æternam introire valebimus. Adjuvet ad hoc consequendum Deus gratia sua nos omnes, per & propter Christum, Dominum & Servatorem nostrum,

Amen.

* * *